



## **Consilia Seu Responsa Juris**

**Schmalzgrueber, Franz**

**Augusta Vindelicorum & Ratisbonae, MDCCXL**

Cons. XXIX. Chrismatis. Hoc si confectum sit ex Balsamo artificiali, non  
obest Consecrationi Calicis: & hujus, etiamsi non legitimè consecratus sit,  
traditio non obest Ordinibus sacris.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72304](#)



## CONSILIUM XXIX.

### In causa Chrismatis confecti ex balsamo artificali.

#### S U M M A R I U M.

1. *Facti species.*
2. *seqq. Proponuntur rationes, ex quibus repetenda videtur ordinatio Presbyteri facta per calicem linitum Chrismate confecto ex balsamo artificali.*
3. *Probabilis ad Ordinationem Presbyteri non requiritur calix consecratus.*
4. *Calix consecratur per celebrationem Missæ, & alias benedictiones Episcopi.*
5. *Ad substantiam Sacramenti Confirmationis non requiritur admixtio balsami.*
6. *Probabiliter valide confertur ordo sacerdotalis, si tradatur vas cum una tantum specie.*
7. *Consecratio Calicis & Patena per unctionem Chrismatis non requiritur ex institutione Christi.*
8. *Non omnia, quæ in jure requiruntur ad collationem Ordinum, pertinent ad eorum substantiam.*
9. *Uit sub conditione repeti possit Sacramentum Baptismi vel Ordinis, requiritur dubium vere practicum.*
10. *Consecratio Episcopi non est repetenda, si adhibitus fuisse Chrisma ex balsamo artificali.*

#### F A C T I S P E C I E S.



Piscopus certi loci pro confiendo Chrismate ex officina pharmaceutica jussit afferri Balsamum. Alatum est ipsi non advertenti balsamum artificiale, cui modica quantitas balsami naturalis, & multò major olei nardini admixta erat, ita, ut non possit præsumi odorem balsami prævaluuisse. Hoc balsamo Episcopus bona fide, credens esse verum balsamum, usus est ad conficiendum Chrisma, & hoc Chrismate dein usus est ad consecrandum calicem, sique ipse calix postmodum adhibitus est ad ordinandos sacerdotes. Innotuit error iste post multum temporis. Sacerdotes sic ordinati, errore isto comperto, scrupulum conceperunt de valore sua Ordinationis.

#### QUÆRITUR.

*An validè ordinatus sit sacerdos ille, cui in Ordinatione sua traditus fuit Calix cum vino, & patenam Hostiam, si tam Calix iste, quam patena linita sint Chrismate confecto ex tali balsamo artificiali?*

*Videtur non valere, vel saltem debere repeti hujusmodi Ordinationem ob dubium illius valorem. Nam 1. calix, & patena, quæ adhibentur in Ordinatione*

*Presbyteri, debent esse consecrata; quia, ut cum aliis horat*

*Palao tract. 27. D. un. p. 4. n. 16. seclusa consecratione, non sunt vasa sacrificii, neque ad sacrificium deputata. Igitur eorum traditio, & contactus ad sacrificium referri non potest, neque significare, tangentem ea vasa eo contactu in sacrificii obsequium deputari. Quare, esto, nupsiam exprimatur, predicta vasa consecrata esse debere, id ex natura rei sequitur ob significationem, quam habere debet materia Ordinationis. Neque argumentum hoc elevat retorsio in Sacramento Eucharistiae, quæ confici potest etiam in Calice, & patena non consecratis; nam etiam confici potest in pileo, ligno, vel alio vase, nec tamen quisquam dicit, quod traditio vasculi alterius, pilei, vel ligni sic materia apta pro ordinatione Presbyteri. Posito autem, quod calix, & patena debant esse consecrati, consecrancum est, non valere Ordinationem, si calix, & patena pro ea adhibiti non sint legitime consecrati; nam non fieri aliquid, & illud non legitime fieri æquiparantur, atqui, quod conficit argumentum*

*z. Calix, & patena liniti solùm Chrismate confecto ex balsamo artificiali, non possunt haberi pro legitime consecratis; nam ex præscripto Ecclesiæ, cui in multis Sacramentis Christus Dominus reliquit potestatem determinandi materiam remotam, vel proximam illorum, consecratio calicis, & patenæ debet fieri per Chrisma, & Chrismatis nomine ex antis quis*

3.

## CONSILIOUM XXIX. CHRISMATIS.

quissimo Ecclesiae usu venit sola mixtura balsami cum oleo. igitur, ubi non interveat, aut adhibetur Chrisma mixtum balsamo, & oleo, ibi calix, & patena non possunt haberi pro verè consecratis: videturque Chrisma ita consecutum esse de substantia non tantum Consecrationis, quā consecrantur calix, & patena, sed etiam ipsius Ordinationis, præsertim in sententia Astensis, Gofredi, Angeli apud Sylv. V. ordo 3. q. 11. ex quorum doctrina omnia illa sunt de substantia Ordinis, de quibus invenitur in jure, quod fieri debeant, nisi inveniatur expressum in jure, quod non sive de substantia. atqui in ordinatione Presbyteri, quamvis non jure scripto, tamen consuetudinario requiritur calix, & patena consecrati, neque injure reperitur, quod consecratio istorum non sit de substantia Ordinis: imò ratio probat contrarium; nam materia Ordinis Presbyteratus sunt tantum calix cum vino, & patena cum Hostia proximè apti ad confiendum Sacramentum Eucharistiae, quam aptitudinem solum accipiunt per consecrationem ab Episcopo, vel alio potestate habente factam in Chrismate rite consecrato. ergo ubi tale Chrisma non est adhibitum, non erunt materia apta ad conferendum Ordinem; consequenter invalida erit Ordinatio, vel saltem dubia: sicque repeti debet Ordinatio; nam

4. Quando expensis omnibus, prudens remanet dubium, aliquod ex tribus Sacramentis fuerit valide collatum, & suscep-tum, illud sub conditione de novo conferri potest, imò debet, si dubitetur de valore baptismi propter summam hujus Sacra-menti necessitatem tum mediæ, tum præcepti. Similis necessitas videtur exigere collationem conditionalem Ordinis, ne nimirum contingat invalidè administrari Sacrament. à sacerdote invalidè ordinato cum periclo non levi animarum. Ratio est, quia ex una parte in dubio circa Sacra-menta præferenda est opinio favens animabus; ex altera verò nulla hoc pacto Sa-cramentis irrogatur irreverentia, quam sa-tis tollit adjecta conditio ex rationabili causâ. Neque hæc nova collatio tunc dici proprie poterit iteratio; quia, ut c. fin. de Presbyt. non baptizat. dicitur, non intelligitur iteratum, quod ambiguitate factum.

5. Deciditur questio.  
Verum, his non obstantibus, omnino judico, Ordinationem Presbyteri, per calicem, & patenam ita consecratos factam, valere, nec repeti debere. Moveor quaduplici hac ratione. 1. quia ex communis sententia,

quam tenet Emanuel Sà V. Ordo n. 6. Henr. l. 10. c. 5. in Comment. lit. F. & c. 8. n. 3. Filliuc. tratt. 9. c. 2. q. 2. n. 3. & q. 8. n. 45. Bonac. D. 8. q. un. p. 3. n. 5. & apud hunc So-tus, Ledesma &c. contra Paludanum,

Sylvestrum, Gallo Palao tratt. 27. D. un. p. 4. n. 16.

non est necessarium, ut calix ejusmodi, vel patena sint consecrati: cui sententia tantum tribuit Filliuc. l. cit. ut addat, post factum eidem quemvis posse acquiescere, licet ante factum dicat consulendam affirmativam. Rationem dant, quia neque iura, neque Concilia id exprimunt, ex pressissent autem, si necessarium credidissent, prout hoc expresserunt in materia Confirmationis, & Extremæ Unctionis, ergo &c. Accedit, quia non videtur cre-dibile, quod Ecclesia valorem Ordinis voluerit alligare Consecrationi calicis, & patenæ, cum sine hac vasa ita, modo publi-cè pro consecratis habeantur, jam obtineant rationem formalem, sub qua ad Ordinationem requiruntur, scilicet quod sit signum sensibile traditæ potestatis ad con-ficiendum Corpus, & Sanguinem Christi.

2. Quia hujusmodi calix non consecra-tus ex communi itidem doctrina consecra-tur per celebrationem Missæ bona fide in ea factam, ita, ut ex communi fidelium opinione censeatur esse signum sensibile idoneum ad significandam potestatem collatam per Ordinem, sub qua ratione eius traditio requiritur ad Presbyteratus collationem, & plus requiri, nullo arguendo efficaciter probatur, vel probari potest. Sufficiet ergo in præsenti casu, si calix, & patena ita (sicut credibiliter factum est) jam ante adhibita sint bona fide ad sacri-ficium Missæ, præsertim postquam præce-serunt benedictiones, alperso aqua benedi-citæ, & aliæ preces in Pontificali præscriptæ, & unctioni Chrismatis præmittit solita; nam per has ceremonias luculenter intelligitur, deputatus esse hujusmodi calicem, & patenam ad confiendum Corpus, & Sanguinem Christi.

3. Quia non minus ad Sacramentum Confirmationis, quam ad consecrationem calicis adhiberi debet Chrisma consecutum ex balsamo, & oleo, atqui,

ut Cajetan. p. 3. q. 72. art. 2. Navarr. Man. c. 22. n. 8. Sot. in 4. dist. 7. q. 1. art. 2. Sà V. Confirmatio n. 7. Barbol. de Offic. Episc. alleg. 31. n. 3. & aliis ab his citt. docent, & ex c. pastoralis 1. de Sacram. non iterant, colliguntur,

ad substantiam Sacramenti Confirmationis non requiritur admixtio balsami, ergo neque ad substantiam Ordinis Presbyteratus requiretur, ut hic collatus sit per traditionem calicis liniti Chrismate consecrato ex oleo, & balsamo, sed sufficiet, si vel per usum in sacrificio Missæ, vel per alias ce-memonias, & benedictiones Episcopales, aut communem existimationem intelligatur deputatus ad hoc Divinum ministrum.

4. Ut putat Bonac. l. cit. n. 3. probabi-liter cum Henrquez, & aliis contra non

nullos dici potest, validè conferri Ordinem sacerdotalem, nec necessariò esse iterandum, si ex obliuione tradatur vas cum una tantum specie; nam potestas consecrandi utramque speciem non traditur divisim, sed qui potest unam speciem consecrare, potest & aliam, cùm Christi Corpus conjunctum sit cum Sanguine, & Sanguis cum Corpore, atqui magis videtur requiri traditio utriusque speciei, quām consecratio calicis. ergo etiam valebit consecratio sacerdotis facta per traditionem calicis non consecrati, vel non rite, & secundum præscriptum Ecclesiæ consecrati.

**9.** Responde  
tur ad ar-  
gumenta  
opposita.  
  
Neque obstant argumenta in contrarium opposita. *Ad 1um.* Consecratio calicis, & patenæ per unctionem Chrismati non requiritur ex institutione Christi, sed est solennitas jure solum Ecclesiastico introducata, sicut unctio in consecratione Altaris, & Ecclesiæ: & qui contrarium vellet asserere, deberet illud probare, quod fieri nullo sat efficaci arguento potest. ergo sufficiet, quod vasa illa intelligantur alio quovis modo destinata ad usum sacrificii, etiam sine consecratione, ab Episcopo, vel alio ad id potestatem habente facta. *Unde* in hoc non est instituenda paritas cum Sacramento Confirmationis, & Extremæ Unctionis, ubi requiritur consecratio materiæ, sed potius cum baptismo, & Eucharistia, ubi materia, scilicet aqua, panis, & vinum de necessitate Sacramenti non debent prius benedici, vel consecrati ad usum istorum Sacramentorum. Rationem disparitatis accomodam cum aliis dat.

Laym. l. 5. Theol. mor. tract. 3. c. 2.  
n. 2.

quia materiam baptismi in Jordane, & Eucharistiae in Cœna ultima suo usu, & exercitio jam benedixit ipse Servator, ut proinde ista sufficiat, & benedictio, quam Ecclesia adhibet, solum pertineat ad solennitatem accidentalem: contrà verò unctionibus illis visibilibus, quæ in Sacramento Confirmationis, & Extremæ Unctionis fieri debent, Christus ipse non est unus, neque eorum materiam benedixisse alibi legitur, quæ proinde, antequam ad usum istorum Sacramentorum adhibeatur, necessariò prius benedici debet. Ex quo solvit, quod in hoc primo arguento absurdum obicitur, scilicet sequi, quod etiam traditio pilci, vel alterius cujuscunque vasculi sit materia apta pro ordinatione Presbyteri; nam Christus, dum Ordinis Sacramentum in Cœna ultima Apostolis contulit, usus est calice, & hunc usu suo, & contactu in ordine ad hoc sanctum ministerium consecravit, non verò aliud qualunque vasculum.

**10.** Ad 2dum Argumentum Astensis, & aliorum num. 3. allegatorum nimium probat, nam in collatione Ordinum plura re-

quiruntur in jure, e. g. ut collator celebret Missam in mitra, & tamen certum est, quod collatio Ordinum etiam sine mitra, aut extra Missæ sacrificium valida sit. Unde de substantia, vel essentia Ordinis non potest esse, nisi traditio alicuius signi cum expressione formæ. signum autem sufficiens ad significandam potestatem, in Ordine Presbyteratus collatam, est calix cum vino, & patena cum Hostia etiam non consecrati Chrismate, ut dictum num. 5. & 6. Circa quam rem è minus fieri dubium potest in casu præsenti, ubi præter unctionem veri, & legitimi Chrismati intervenierunt omnes alia solennitates ad consecrationem calicis, & patenæ alias pertinentes, puta benedictio verbalis Episcopi, quæ cum sibi reperitur signo crucis unctionem Chrismati antecedit, & subsequitur, ubi expressa fit mentio, quod hæc vasa deputentur ad usum Ministerii Divini, & ipse calix ac patena efficiantur novum sepulchrum Corporis, & Sanguinis Christi: item aspersio aquæ benedictæ, & alia ceremoniæ juncta cum voluntate expressa Episcopi, hunc calicem, & patenam ad usum sacrificii deputantis; neque enim hæc omnia videntur irrita esse propter invalidam unctionem ob Chrisma non rite confectum. Reddetur itaque hic calix, & patena nihilominus quoad requisita juris divini habili ad celebrationem Missæ, & postea subsequuto sibi hoc usu per actuales celebrations, communis fidelium opinione censebitur esse etiam signum sensibile idoneum ad significandam potestatem, quæ in Ordine Presbyteratus confertur, siquæ addatur horum vasorum traditio, & contactus cum forma, seu verbis collationem potestatis istius significativis, non minus valebit ordinatio, ac illa valet, quando traditur calix vero Chrismate delibutus, aut valuit ante, quām per Ecclesiam introducta fuit unctio Chrismalis calicum, & patenarum.

*Ad 3um.* Doctrina ista de repetenda collatione Baptismi, & Ordinis solum procedit, & locum haberet, quando de valore illorum adest dubium verum non merè speculativum, sed practicum. In casu præsenti de valore Presbyteratus, per calicem Chrismate ex balsamo artificiali confecto consecratum collati, licet aliquod dubium speculativum ob probabilitatem alterius sententia formari possit, practicum tamen nullum adest, tum ob rationes haec tenus allatas, tum verò etiam ex eo, quia Concilia, maximè Florentinum, ubi istud de materia Ordinis Presbyteratus tractat, ipsique Patres, & DD. ceteri, dum eandem materiam in ordine ad potestatem consecrandi Corpus, & Sanguinem Christi assignant, simpliciter dicunt, hanc esse calicem cum vino, & patenam cum Hostia, neque faciunt mentionem consecrationis (Tt)

II.

illæ

R. P. Schmalzgrueber Confilia.

## CONSILIO XXIX. CHRISMATIS.

illorum, sicut tamen faciunt, quando loquuntur de Chrismate in ordine ad Sacramentum Confirmationis, & de oleo infirmorum in ordine ad Extremam Unctionem: qua diversitate loquendi sufficienter indicant, benedictionem Chrismatis, & olei infirmorum esse quidem de necessitate Sacramenti Confirmationis, & Extrema Unctionis, in Ordinatione sacerdotis autem consecrationem calicis solum requiri de necessitate pracepti: quo efficitur, peccaturum quidem graviter illum Episcopum, qui scienter in hujusmodi Ordinatione uteretur calice non consecrato, ipsam tamen Ordinationem fore validam.

**I2.** Confirmatur paritate cum consecratione Episcopi, ubi licet non minus requiratur Chrismatica unctionio, ac illa requiritur ad consecrationem calicis, tamen si unctionio illa facta sit Chrismate confecto ex balsamo artificiali, consecratio Episcopi valet, nec est repetenda, aut supplenda haec unctionio, quia unctionio ista tantum requiritur ex

præcepto Ecclesie, & ratio, quare Christi misericordia præcipiatur balsamum, nempe nitor conscientiae, & bona fama odor, sufficienter significantur per Chrisma confectum ex oleo, & balsamo. atqui, ut habetens dictum est, etiam in calice, licet delibuto solum per Chrisma, ex simili balsamo artificiali confectum, accendentibus præsertim ceteris ceremoniis, in consecratione calicis adhiberi solitis, si ille tradatur sacerdoti ordinando, jam obtinetur signum sensibile potestatis illi traditæ in ordine ad confiendum Corpus, & Sanguinem Christi. igitur etiam ipsa valebit, nec iterari, aut quidquam suppleri debet, sed hoc ipso, quod deficit, & ex præcepto solius Ecclesie adhiberi debuerit, illa supplebit. Taceo, quod balsamo artificiali semper sit mixtum balsamum naturale, ut adeo Chrisma ex illo confectum dici possit confectum ex oleo, & balsamo: consequenter habet, quod à jure ad verum Chrisma requiritur.

## CONSILIO XXX.

## In causa Sponsalium.

## SUMMARIUM.

1. *Facti species.*
2. *Ex traditione & acceptatione annuli non presumuntur sponsalia:*
3. *Nisi consuetudo loci aliter habeat, vel specia- lia signa consensus præcesserint.*
4. *Idem traditur de traditione aliorum mun- rum.*
5. *Si viro promittenti matrimonium famina re- quisita manum porrigat, censetur reprobri- tere.*
6. 7. *Littera amatoria, in quibus scribens puer- lam salutavit sponsam, non probant sponsalia, sed tamen præsumptionem dignunt.*
8. 9. *Copula carnalis per se non est signum spon- salium contractus: bene tamen ex circumstantiis.*
10. *Si verbæ sunt dubia, in foro conscientia- dum est intentioni contrahentium:*
11. *In foro externo standum est verborum sig- nificationi vulgari.*
12. *In dubio de contracto matrimonio, senten- tia fertur in favorem matrimonii.*
13. *In dubio de contractis sponsalibus, pronun- tiatur contra sponsalia.*
14. *Conditio de futuro contingente possibili & honesto, suspendit obligationem matrimonii & sponsalium.*
15. *Conditio potest adjici sponsalibus post con- tractum, non autem matrimonio.*
16. *seqq. Deciditur controversia ex pranota- ris.*

## FACTI SPECIES.

**I**tius, & Bertha à septem annis fa- miliaritatem inter se invicem habent cum non dubiis signis amoris re- ciproci; nam præter donationem joculum, & ap- positionem escu- lentorum repetitam, quoties convene- re (quod sapissimè per sex præcipue annos factum est) semper fere intervenierunt

blanditiæ, tactus etiam impudici, in copula, quamvis imperfecta. In uno horum conventuum, ubi etiam competatio in- stituta est, egressum conclavi Titius se- cuta est Bertha, & cum videret ista in digi- to istius annulum, eum detraxit: post quod Titius reposuit his formalibus: Wo mein Ringlein ist, muß ich auch seyn. also Diendl, du kehrst mein. Ad que verba illa quamvis subridendo respondit: Es ist schon recht: & annulum detractum retinuit, quem etiam in hunc diem habet. Alia vice, cum in certa domo convenienter simul, in- ter cetera Titius ad illam his verbis: Gelt, Weiber, wann ich einen Dienst bes-